1. Tragicocomoedia de Hierosolymitana profectione illustr. ducis Pomerani .... a Johanne de Kitscher. Stettin. 1594. 40 Seiten.

2. (Zur Hochzeit von Joach. Jos. Rango und Cath. Elis. Wolffrahtia) de Ranganianae gentis .. splendore. von Jo. Guil. Pfennigk. Lübeck 1698. 44 Seiten

3. Joach. Fabricius, Leichengedicht auf Joh. Micraelius. Stettin 1658 72 S.

4. Kurtze Abdankung Ludovici Jacobi " " " 8 S.
u. Verzeichnis von Micr. Schriften (seit 1616)

5. Henr. Schaevius, monumentum literarium " 8 S.

6. Monumentum ... Micraelio ... ab amicis ... Pyricensibus positum. 8 S.

7. Ultimum officium ... manibus ... Micraelii .. sacratum ab amicis .... 8. S.

8. Cupressus ... manibus ... Micraelii .. erecta a Frederico Reimero 4 S.

Domus Micraeliana cum cognato lugens 8 S.

9. Laurea lugubris honori supremo .... Micraelii ... victa et plexa a suis discipulis 20 S.

10. Bustum .... Micraelii ... lachrymis fautorum, affinium et amicorum madidum. 16 S.

11. Francisci Wokenii .... Beytrag zur Pommerschen Historie ..... Leipzig 1732. 266 S.

(11a) Lud. Aug. Würffelii ... dissertatio .. de vena Pomeranorum poetica. Greifsw. 1738. 8 S.

12. Wilh. Engelken, (Einweihungs-Predigt bei Wiedereröffnung der Marien-Kirche in Stargard. 1661. Stettin 1661. 82 S.

✓ 13. Friderich Wagner, Lacrymae Stargardiae .... Danck... Predigt ... beym hundert-jährigen Andencken der ... Einäscherung ... Stargards 1635. Stargard 1735. 38 S.

14. Stargaris oder der Stadt Stargard Glück- und Unglücks-Fälle in einem Schau-Spiel vorgestellet v. M. Christophoro Praetorio. Alten-Stettin 100 S.

15. Christoff Heinrich Rühlen, Merckwürdige Himmels-Gestalt: oder Astrologische Gedancken über die vier Neben-Sonnen, welche sich ... den 14. Jan. deß 1667sten Jahres in Stargardt ... sehen lassen. Alt-Stettin 1667. 68 S.

✓ 16. Hundertjähriges Ehren-Gedächtniß Herrn Peter Grönings .... aufgerichtet von M. Daniel Gottfried Werner. Stargard 1733. 8+96 S.

✓ 17. Herrn ... Petri Grönings .... Testamentliche Donation ad pias causas. Publicatum Stargard in Parsa den 12. Martii Anno 1631. Gedruckt daselbst ... 1680. 24 S.

18. Joh. Andr. Hiltebrandt, Verzeichniß der Hirten nach Gottes Hertzen .... ~~Stargard 1724~~ Alten Stettin 1724. 8+24+80 S.

19. Nic. Michaelis, Stamina Gryphiorum, quo necessitas ... Greifeswaldiae anno liberationis suae 1631 exprimitur. Gryphisw. 18 S.

20. Alb. Georg Schwartzen ... Historischer Begriff vom Ursprung der Stadt Greyffswald. Greifswald 1733. 100 S.

21. Alb. Georg Schwartz .. Verkündigungs-Schrifft (zum 500 jähr. Best. der Stadt Greifswald. Anbey ... von dem Alter

und Ursprung der Teutschen Städte insgemein, wie
auch der Pommerschen und Rügianischen insonderheit
handelt. Greifswald (1733). 8 S.

22. Albert Georg Schwartzen... Einleitung zur Pommersch-Rügianischen Dörffer-Historie. Erster Versuch vom Lehn- und Ritter-Guth Ludwigs-burg. Greifswald 1734. 8+28 S.

23. Laur. Matth. Baumann, de templo arcis Stolpensis ... anno 1702. 12 S.

MONUMENTUM
LITERARIUM

Quo

Viro Admodum Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo

DN. JOHANNI MICRÆLIO,

SS. THEOL. AC PHILOS. DOCTORI AC PROFESSORI, NEC NON GYMNASII REGII RECTORI LONGE MERITISSIMO DESIDERATISSIMO,

Cum III. d. Decembr. Anno æræ Christianæ M DC LVIII. ætatis 62. pie ac placide defunctus,

XIV. d. ejusd. mensis in Æde Mariana tumulo inferendus esset,

luctuosum officium præstitit

Et Studiosam in Gymnasio Regio Stetinensi Juventutem

ad condebitos exeqviarum honores evocavit

HENRICUS SCHÆVIUS, D.
Gr. L. ac Poës. Prof.

STETINI,
Typis GEORGII GOETSCHII, Reg. Pædag. Typogr.

5

QVo vultu aut calamo tam cognati funeris haud ficta haud redemta præfica vos appellabo, Juvenes dilecti? qvo ore tam propinqvas exeqvias vobis inſinuabo?

- - - gemit inter bella peremtum
Parthus eqvũ, fidosq; canes flevere Moloſſi:
Et volucres habuere rogum, cervusq; Maronis:

Qvid ſi paterno funeri juſta juſtisſimis non fieret lacrymis? Patrem lugemus, & qvod ultra eſt: ſiqve non patriæ patrem, certe eorum, qvi Patrum loco patriæ & ſunt vel fuerunt vel futuri ſunt. Naſci è parentibus communis cum proletariis qvibusvis hominibus ſors eſt, ne dicam cum beluis à qvibus vel ferociæ vel ignaviæ exempla mutuari conſvevimus: renaſcimur à Præceptoribus, abſolvimusq; hominem. Miſerrimi ſcilicet mortalium hi ſunt, qvi non aliud habent argumentum humanitatis, qvam ridere, loqvi, ratiocinari poſſe. Sicut fœtus qvi intra matricem computreſcit: ſicut roſa qvæ extra calycem ſpecioſam foliorum pubem non extulit, nulla gratia ſpectantes retinet: ita homo ſibi relictus nullaq; eleganti diſciplina aut animi cultu imbutus tantum non hominis titulum diſperdit, brutisq; qvam proxime accenſetur. Adeo ſolius probi Præceptoris eſt generare homines, vel detracto eo qvod minus in homine humanum eſt, hominem homini reſtituere. Jam vero ſi qvis unqvam in hac recudendarum mentium Ætna feliciter deſudavit: ſi qvis unqvam Prometheus lutum hoc, ex qvo meliora corda finguntur, artifici manu tractavit & in ſeqvaces formas diſpoſuit: fuit ille Vir Admodum Reverendus, Clarisſimus & Excellentisſimus Dn. Johannes Micrælius, SS. Theologiæ ac Philoſophiæ Doctor & utriusq; Profeſſor, ac Gymnaſii Regii Rector longe meritisſimus, vir unde-

cunq;

cunq; incomparabilis, & fatali plane malo sedibus nostris subductus. Sane in eo omnigenarum virtutum non modii aut trimodii, sed jugera ac horrea tanta, unde infiniti alii, si Virtus partes admittit, opulentiam sibi arrogent. In qvo ne Livor, si Lynceus esset, inveniret qvod sugillaret; Calumnia etiamsi omnes dentes exerat, habeat qvod arrodat. In qvo Pietas cum Humanitate, Religio cum Facundia, Fides cum Eruditione, Integritas cum Beneficentia tam pacato contubernio coiërunt, ut qvotqvot unqvam humani, religiosi, facundi, fideles, eruditi, integri ac benefici (humanitus loqvor) inventi fuere, velut in Apellea tabula, qvæ simul omnes Græciæ Veneres complectebatur, uno obtutu in eo lustrare proclive fuerit. Ut paucis dicam, Vir erat mea & fortasse omni laude sublimior, de qvo per historiam & ἄνευ παθῶν, qvo ductu vitam traduxerit, deliniare qvædam malo, qvam inficetus encomiastes deficere. Intromissus fuit in mortalitatem Cöslini Pomeraniæ Anno à nato Redemtore M. D. XCVII. Calendis Septembrib9; hora sexta matutina. Patre viro Reverendo ac Clarissimo Dn. Joachimo Micrælio ibidem Archidiacono, Viro à singulari Pietate & vitæ integritate toti civitati acceptissimo; Matre Margaretha Krügers, filia Dn. Laurentii Krügeri Pastoris Jamundensis, qvi raro vivacitatis exemplo annum undecentesimum assecutus, octoginta è posteris vivus salutavit, ipseq; ad familiam Glindorum & Halliorum, qvorum apud nos haud incelebris viget memoria, genus suum retulit. Simul infantiæ primisq; scholarum stipendiis exsolutus animum ad ea qvæ elimatiorem præstant hominem appulisset, auspiciis Dn. Jacobi Volsii scholæ patriæ Rectoris viri oppido qvam literati militavit, ostenditq; qvanti interfit ad robur omnium studiorum, ubi cata Præceptorum industria cum exqvisitis ingeniis committitur. Jam tum

ut facile inter condiſcipulos erat primus, ita non fefellit ſpem fore inter ſenes nulli ſecundum. Ad Muſicum, Græcæ lingvæ & Poëſeos ſtudium peculiari naturæ concitatione ferebatur eosq; fructuoſo exemplo redarguebat qvi malunt esſe ἄμȣσοι, Barbari & ἄμετροι. Inter illas prævelitationes permiſit ei Dn. Parens cum Dn. Georgio Mesſerſchmied Concionatore aulico Ducis Franciſci Dresdam digredi & funebrem Serenisſ. Electoris Chriſtiani II. pompam ſpectare: qva occaſione technothecam Dresdenſem infinita artificioſisſimarum machinarum varietate refertisſimam attento oculo luſtravit & non pauca in chartulas ſuas conſignavit. Sub regresſum Francofurtum vidit, & inde in patriam reverſus, triennio integro ibi adhuc ſubſtitit. Decimo ſeptimo ætatis anno, jam probe abſterſa trivialiũ operarum, qvæ plurimis aliis remoræ ſolent esſe, rubigine, Pædagogio noſtro civem dedit, & commisſus fuit privatæ curæ Clarisſ. Viri Dn. Joachimi Prætorii Archidiaconi & Profesſoris Mariani, cujus favorem ingenioſa ſolertia demeruit, & ex ejus bibliotheca excerpſit non qvod pueri ê faba. Publice utebatur opera celeberrimorum virorum M. Hunichii, M. Kilmanni, M. Kohlii. A Dn. D. Cramero Theologiæ fundamenta ita feliciter imbibebat, ut mox ſub Præſidio prædicti Dn. M. Prætorii publice defungeretur diſputatione de Deo *Uno & Trino*. Videtis qvantis ab auſpiciis cœperit emergere: & ſuccreſcebat tam læta eruditionis ſeges, ut cum viris dehinc magni nominis & famæ M. Andrea Virginio & M. Johanne Jacobo Cramero, tunc condiſcipulis, privatim ſe exerceret, aliorumq; interim profectibus emolumentum non leve adſpiraret. Triennium hic commoratus Regiomontanam Academiam meditabatur. Commodùm inveniebat ducem Dn. Philippum Frenckingium Secretariũ Serenisſ. Elect. Brandenburgici.

Danti-

Dantiſco igitur illuc concedens, dicto Frenckingio in transferendis è Germanico actibus judicialibus, qvi in tribunali Polonico non niſi Latine recipiuntur, elegantem operam navavit. Ibidem cum Dn. Chriſtiano Langio, qvi nuper inter præcipuos civitatis hujus viros Camerarius ac Comes Palatinus enituit, intimæ familiaritatis glutino coaluit, ut in altero Damonem in altero Pythiam recens experiri liceret. Solertiam illi Academiæ probavit inter varia alia ſpecimina, etiam tunc, cum per integrum diem ſub M. Chriſtophoro Eilardo de Veritate Tranſcendentali Metaphyſica ſolenniter diſputaret, & ſermones ſacros publice habendo Collegiisq; variis ſe addicendo vires tum periclitaretur, tum adſereret. Jamq; commodus videbatur cujus fidei committerentur alii. Duobus nobilibus Kreutziis præficiendus erat, niſi geminata parentum funera conſilium interpellasſent. Intra eandem hebdomada mater ex animi mœrore contabeſcens & maritum ſecuta filio luctuoſi itineris necesſitatem impoſuit. Ille navi Gryphiswaldiam molitus, & à tempeſtate ac inuſitato maris æſtu interceptus, vix uno digito à morte remotus erat. Evadebat tamen per Dei gratiam magnis adhuc uſibus reſervandus. Nec dudum ibi commorabatur, cum à Dn. Luca Puſchen Senatore & Mercatore ejus civitatis primario ad Ephoriam filii ſui Johannis, Patritii & Hereditarii in Horſt, vocaretur, cujus ſtudia & iter direxit, Hamburgum, Roſtochiū, Wismariam, Lubecam cum eo luſtrans. Inde Stetinum & Cöslinum, ut rationibus ſuis familiaribus proſpectum iret, mox & Gryphiswaldiā repetens famigeratisſimorū Theologorū Krakevitii, Batti & Maſchovii Collegiis ſedulus interfuit, & diſputationibus de gravisſimis qvibusvis materiis elaboratis, tantum omnium applauſum elicuit, ut anno Chr. 1621. laurea Magiſtralis ipſi offerretur & conferretur:

qvem

qvem actum Diſputatione de Meteoris præſidendo defenſa feliciter coronavit. Ex eo varie ad varias functiones ſcholaſticas, qvibus tamen certis de cauſis hactenus ſe ſubduxit, deſignatus eſt. Anno 1622. Nobilisſimi Dn. Henningii ab Oſten filiis, Dn. Henrico jam Conſiliario Provinciali eminentisſimo, ejusq; fratri Dn. Henningio præpoſitus eſt, cum qvibus Lipſiæ in convictu Dn. Johannis Ruperti Sultzbergeri Med. Doct. celeberrimi aliqvandiu ſubſtitit, & elegantisſima eorum ingenia juſtis ſtudiis exaſciavit: qvoad Dn. Parentis arbitratu illinc Witebergâ, Güterboko & Berolino domum ſalvi ſunt reducti. Poſtero abhinc anno Lipſiam repetens incredibili ardore Theologiæ ac Philoſophiæ ſtudia urſit, Collegia non unius generis aperuit: & inde vicinas urbes & Academias Erfurdiam, Vinariam ac Jenam ſectatus, in Theologorum ac Clarisſimorum virorum familiaritatem haud ægre intromisſus eſt. Deſerta interim erat profesſio Eloqventiæ in hoc Gymnaſio, ad qvam legitime vocabatur ſummaq; eam cum laude per triennium adminiſtrabat: Anno 1627. in Schola Senatoria ad Rectoratum in locum Cl. Viri M. Lolæi ſurrogatus ſaxum illud Siſypheum tanta dexteritate, tanta tolerantia & alacritate volvit, ut tunc demum pueri revera ludum freqventasſe; ipſe inter amplisſimam de tot ingeniis mesſem aliud agere viſus fuerit. Sed & per illud tempus ſe ſibi aliqvando impendere & familiam accurare è re ſua fore cenſuit. Asſumta in partem thori lectisſima virgine Sophroſyne Dn. Joachimi Prætorii ſuperius memorati filiâ, intra annum eam habuit puerperam, ſed mox cum infante extulit. Huic ſuffecit anno abinde tertio qvi erat à nato Chriſto 1630. honeſtisſimam ac bellisſimam Virginem Sophiam, Dn. M. Davidis Reutzii, Superintendentis Pomeraniæ Orientalis egregie meriti

natam,

natam, qvæ ipsum novem liberorum parentem præstitit. At præter per duos superstites omnes mortalitatis censum persolverunt. Filiam Gabriel Millies patritius Stetinensis in thalamo habet: filius Joachimus nuper ex Academiis revocatus Theologiæ studio vacat & ingeniosæ suæ solertiæ gnaviter litat, amplamq; spem paternarum virtutum sustinet. Nec deseruerat indolem major fratrum David, Secretarius & Optio Baronis Ukselii, qvi ante biennium à Moscovitis ad Rigam captus in castris diem obiit. Horum mater cum nonum partui incumberet, fœtu repigrato, maritum pariter destituit. Interim vero dum Scholasticum hunc pulverem verreret & cum domestico luctu (dena enim ordine funera extulit) colluctaretur, alibi varie adpetitus & vocationibus invitatus est. Etenim anno Christi 1628. ad Præposituram Sagendensem Anno 1634. ad Dorpatensem & Anno 1642. ad Gryphiswaldensem professionem provehi poterat. Sed & eodem Anno 13. d. Aprilis Serenissimæ Reginæ Sveciæ Christinæ jussu Cathedram aperiente Illustrissimo Comite ac Legato Johanne Oxenstierna in Regio Pædagogio Rectoratum capessivit. Mox tertias nuptias cum eleganti virgine Catharina Hecken, Viri Pl. Rev. ac Clarisf. Dn. M. Michaelis Hecken Superintendentis Primislaviensis filia celebravit, & tria liberorum paria, qvæ per Dei gratiam adhuc supersunt, ex ea suscepit. Sub ipsum statim novæ functionis ingressum ostendit qvanta apud summos terrarum dynastas valeret gratia. Ad ipsius enim instantiam Juris, Medicinæ & Mathematum Professores Gymnasio primi donati, Communis mensa, qvantum bonarum mentium, qvarum soror est paupertas, refugium! restituta. Anno 1649. liberalibus sumtibus Regiis in Gryphica Doctorales in Theologia honores induit, ex qvo Professionem Theologicã Orthodoxorũ

omnium

omnium ingenti cum applausu Philosophicæ conjunxit. Qvadriennio inde cum Dn. Præside Lillienstromio Sveciam adiit, ubi à Regina ad colloqvium admissus & gratiosissima munificentia in patriam remissus est. Tertio abinde anno ubi tres Theologiæ ac duo Juris Doctores in Academia Gryphiswaldensi ab Illustr. Dn. Legato Oxenstierna proclamandi essent, Dn. D. Micrælius ProCancellariatus interim munere cohonestatus ejus vices subiit & admirandis facundiæ & eruditionis stricturis Actum augustiorem reddidit. Qvis vero in exiguis hisce pagellis omnem Viri industriam, merita ac honores sistet? Fortasse alius laxior huic rei aperietur campus. Cum variis affectibus Nephriticis, ante triennium circiter colluctari cœpit. Et mensis jam abiit, ubi idem morbus cum contumaci Ischuria & totali urinæ suppressione repedaret, demumq; sibi in vitam & partes vitales capitale jus vendicaret. Hoc interno tortore exstinctus est, qvatenus extingvi poterat. Nobis præter ingens cordolium varia ingeniosissima ejus ingenii monumenta cedro dignissima, qvæ qvot & qvalia sint, peculiaris elenchus seorsim explicabit, supersunt: superest memoria, qvæ tunc demum, qvando universi hujus machina collabetur, interitura est. At vos, Juvenes dilecti, ubi jam amisistis tantum Præceptorem, amplius eum æstimabitis, & in rarissimas ejus virtutes magis anxii inqviretis. Loqventur eas omnes boni, ipsa etiam pulpita:

Ipsi illum fontes ipsa hæc arbusta vocabunt.

Vos ei, decentem exeqviarum honorem conferetis, qvi tanta in vos dona impendit, à cujus celebritate olim commendationis argumentum petetis, magni qvondam Micrælii auditores vos fuisse. Valete.

H. Schævius, D.